

tione et devotione orationes suas decurret; et consequenter amplius merebitur, fructumque uberiorem referet. Quod in hunc modum dicere poterit: Orationi vacare intendo, *primo*, ut Deum colam, laudem et benedicam, nimirum ut coram Angelis et hominibus, coram cælo et terra, profitear, Domine, ego tuus cliens, te supremam esse majestatem, infinitæ potentiae, sapientiae, bonitatis et pulchritudinis, esseque te Deum meum et creatorem, meque tuam esse creaturam; te meum regem supremumque dominum esse, me autem subditum ac servum tuum; te meum cælestem esse patrem, meque tuum esse filium, licet hoc nomine indignissimum, quia ad instar obedientis filii, patrique suo complacentis non me gessi: ut hac oblatione, quidquid boni in me est, a tua immensa misericordia et liberalitate emanare profitear. En tibi hic oratio imperata ab actu religionis. *Secundo*, orare intendo, ut Deo placeam, gratumque ei obsequium præstem, et hac ratione in ejus gratia et amicitia me conservem et promoveam: ut rem, qua Deum unice oblectari scio, ei offeram. En oratio imperata ab actu charitatis. *Tertio*, orare intendo, ut Deo gratias agam pro innumeris corporis et animi beneficiis, quæ a liberalissima ejus manu recepi. En actus gratitudinis. *Quarto*, ut imiter Jesum Christum, B. Virginem, sanctosque omnes Angelos et homines, quorum opus in cælo continuum est oratio, eorumque precibus et meritis meas uniam, itaque unitas iis Deoque offeram. *Quinto*, En hyperdulia et Sanctorum cultus. *Quinto*, ut peccatorum meorum veniam deprecer, pro iisque satisfaciam. En actus poenitentiae. *Sexto*, ut animas e Purgatorio liberem, peccatoribus in hac vita poenitentiam, justis justitiæ augmentum impetrem. En amor proximorum. *Septimo*, ut gratiæ et gloriæ augmentum exorem, ut scilicet charitatis, humilitatis, mansuetudinis, patientiæ, castitatis, sobrietatis, fortitudinis, constantiæ, perseverantiæ, zeli ac consequenter gloriæ in cælo illis respondentis incrementum efflagitem. En actus spei et cæterarum virtutum. Eadem intentiones cuilibet operi bono, ut jejuniis, eleemosynæ, concioni, poenitentiae, etc., præmitti possunt, ut opus ex omnibus hisce virtutibus prodeat et promanet, quasi lilium *πολύπυλον*, et variegatum ex multiplici et varia radice.

Græce pro orationem rursus est *εὐχαστα*, quod tam vovere quam orare significat. Unde juxta præced. versum, in quo significavit vovere, ita vertunt, priusquam voveas præpara teipsum, ad præstandum ipsa quod vovere vis, et ne esto ut homo tentans Dominum. Quod quasi disparatum a priori præceptum accipi potest, *q. d.* Ne per orationem aut votum postules a Deo miraculum, aut ut rem, quam tuo labore et cooperatione tibi parare debes, solus per se tibi elargiatur. Hoc enim est tentare Dei potentiam et elementiam. Unde Syrus, *antequam voveas præpara*

votum tuum, et ne sis tanquam vir qui provocat Dominum suum.

Moraliter, Auctor Imperfecti apud S. Chrysostomum, homil. 15 in *Matth.*: « Ille, ait, præparat animam suam ante orationem, qui faciens eleemosynam, venit ad orationem. Sicut enim oleum accendit lumen lucernæ, ita bona opera excitant fidem cordis, et dant confidentiam animæ apud Deum orandi. Ergo eleemosyna est preparatio orationis. Item jejuniis est adjutorium orationis, quia oratio sine jejuniis est gracilis et infirma. » Et inferius: « Quare eleemosyna ante orationem præcedit? quia moderatrix est et præparatrix viæ ante faciem orationis, ut post eleemosynam sequens oratio præparatum locum misericordiæ inveniat apud Deum. »

24. MEMENTO IRÆ IN DIE CONSUMMATIONIS, ET TEMPUS RETRIBUTIONIS IN CONVERSATIONE FACIÆ. — Ita legendum cum Romanis et Græcis; perperam ergo Complutenses et alii legunt, in *conversione faciæ*, vel *faciens*. Sensus est, *q. d.* Crebro renova tibi memoriam iræ et vindictæ, quam Deus exercet in impios in die judicii, quo consummabitur vita hominum, et præsens mundi cursus, quoque Deus retribuet eis meritas gehennæ poenas, ideoque faciæ suam, quam in hac vita eis ostendit benevolam et beneficam, dando eis opes et felicitatem, convertet in trucem, minacem, indignabundam, spirantem ignes et flammæ, adeo ut ejus terrore impii dicturi sint montibus: « Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni: quoniam venit dies magnus iræ ipsorum: et quis poterit stare? » *Apocal. vi, 16.*

Hunc esse sensum docent Græca, quæ sic habent, *memento exardescentiæ ultimis diebus futuræ, et tempus ultionis in aversione vultus*; Tigurina, *memento ire extremo die future, et ultionis quo tempore avertetur faciæ*; Syrus, *memento quod ira est in fine omnium peccatorum, et in tempore angustie non avertet (ire Dei) a te faciæ*. Identidem Siracides inculcat memoriam et timorem novissimorum, præsertim judicii et gehennæ, quia hic timor efficax est frenum ad cohibendum hominem a peccatis, eumque in omnibus actionibus facit cautum, providum, modestum, sollicitum.

25. MEMENTO PAUPERATIS IN TEMPORE ABUNDANTIÆ, ET NECESSITATUM (ita Romanæ: male alii legunt, *necessitatem*) PAUPERATIS IN DIE DIVITIARUM. — *Necessitatem* vocat angustias, quibus paupertas stringit et arctat pauperem, ut famem, sitim, frigus, multaque similia pati cogatur, *q. d.* Dum dives es et felix, metue inopiam et infelicitatem successuram; dum abundas, memor esto paupertatis tum præteritæ, tum futuræ, quæ scilicet tibi obvenire potest, quæque te arctabit, et in multas angustias rediget: sic enim fiet ut in abundantia non insoleras, utque provideas futuræ paupertati tibi obventuræ, vel hac in vita, vel in futura, dando scilicet

et eleemosynas per quas pauperes te recipiant in æterna tabernacula. Sic providit Joseph in annis fertilitatis sterilitati futuræ, *Genes. xli, 47.* Unde Rabanus: « Ne perdamus, ait, otium nobis concessum, quia veniet tempus quando jam non licet operari. Hoc enim hic tempus paupertatis et necessitatis nominat. » Hinc et Græca ac Syrus sic habent, *memento temporis famis, in tempore saturitatis: paupertatis et egestatis, in diebus divitiarum*, juxta illud *cap. xi, 27*: « In die bonorum ne immemor sis malorum. » Vide ibi dicta. Huc facit illud Catonis in *Distichis*:

Tranquillis rebus, quæ sunt adversa caveto:  
Rursus in adversis, melius sperare memento.

26. A MANE USQUE AD VESPERAM IMMUTABITUR TEMPUS, ET HÆC OMNIA CITATA IN OCULIS DEI, — *q. d.* ait Lyranus: Aliquando inter mane et vesperam mutatur tempus a divitiis in paupertatem. Dat causam cur in tempore abundantiae memor quis esse debeat paupertatis, quia scilicet subito commutantur rerum vices et tempora, ut, sicut mane serenum sæpe desinit in vesperam caliginosam, sic qui mane est dives et felix, vespere sit inops et miser; imo qui mane est sanus et vivus, vespere sit æger et mortuus. Atque hæc omnia citata, id est, cito transeuntia, vel potius cito vicem commutantia, repentina et subita sunt in oculis Dei, qui, dum vult, illico sortes ejuisque felices in infelices convertit, et vice versa, *q. d.* Ergo cuilibet mundi felicitati dum aridet, noli credere, nec affigere cor tuum, quia instabilis, infida, incerta est instar auræ; sed continuo expecta mutationem sortis et vitæ. Pro citata Græce est *ταχινά*, id est velocia, properantia, volucra, pernicia. Inde a celeri cursu *ταχινός* vocatur lepus et cervus. Sic instar lepore et cervi transeunt prosperitas hujus sæculi, eique succedit adversitas. Syrus pro citata vertit, *pulchra*: « Omnia hæc, inquit, pulchra sunt coram Deo, » *q. d.* Deus delectatur hac sortium et rerum omnium volubilitate et vicissitudine, quia hæc rebus ipsis in terra creatis, utpote fragilibus, connaturalis, innata et concreata est. In mundo enim hoc sublimari et volubili dominantur mors et sors, duo imperiosa numina, ait Tragicus, quæ nihil in sua quiete et statu relinquunt: ubi vices rerum et temporum, ortus et occasus, lux et tenebræ, caligo et serenitas, luctus et gaudia, metus et spes, somnus et vigilia, risus et lacrymæ, lamenta et jubilus, amor et odium, in perpetuo reciproca conversionis et confusionis gyro rotantur: ubi siugula cadunt, surgunt, premuntur, infirmantur, convalescunt, tumultuaria quadam et necessaria vicissitudine, ut per hæc Deus hominem moneat, a mundo hoc elementari mentem avocare, et in cælestem sustollere, ubi est perennis rerum omnium stabilitas, felicitas, et æternitas.

Symbolice Rabanus: « A mane, inquit, hoc

est, ab ortu nativitatis, usque ad vesperam senectutis mutabitur tempus ætatis hominis, quia repletus multis miseris fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet. Vel aliter: A mane, hoc est, ab initio creationis mundanæ, usque ad vesperam sæculi, semper mutabuntur tempora; et ver, æstas, autumnus et hiems, dies et nox, nunquam requiescunt: et tamen hæc omnia ad statum æternitatis comparata cito transire videntur, nec aliquid de corporalibus rebus perpetuum manet: sed omnia coram oculis Domini transeunt, et certo fine clauduntur. Ipse autem semper idem est, et anni ejus non deficient.

Huc facit illud Boetii lib. II *De Consol.* prosa 2: « Hæc nostra vis est, hunc continuum ludum ludimus: rotam volubili orbe versamus, infima summis, summa infimis mutare gaudemus. » Et prosa 3: « An tu in hac vitæ scenam nunc primum subitus hospesque venisti? ullamne humanis rebus inesse constantiam reris, cum ipsum sæpe hominem velox hora dissolvat? » Et illud Senecæ in *Thyeste*:

Quem dies vidit veniens superbum,  
Hunc dies vidit fugiens jacentem.  
Nemo confidat nimium secundis,  
Nemo desperet meliora lapsus.  
Miscet hæc illis, prohibetque Clotho  
Stare fortunam, rotat omne fatum.  
Nemo tam divos habuit faventes,  
Crastinum ut possit sibi polliceri.  
Res Deus nostras celeri citatas  
Turbine versat.

27. HOMO SAPIENS IN OMNIBUS METUET, — tum sortis vicissitudinem, temporisque mutationem, ut ex divite et felici fiat pauper et miser, de qua jam dictum est; tum ne in ea peccet Deumque offendant, vel superbiendo in prosperis, vel desperando animumve deiciendo in adversis; tum judicium divina, ait Lyranus, quæ ob peccata occulta, vel alias ob causas arcanas hominem deserunt, affligunt, castigant. Alludit ad *Prov. xxviii, 14*: « Beatus homo, qui semper est pavidus. » Sapienter Aristoteles, lib. *Magnor. moral.*: « Timendum, ait, viro forti, sed audendum; si enim non timeas, neutiquam fortis, sed audax eris. »

ET IN DIEBUS DELICTORUM ATTENDET AB INERTIA. — Græce *ἀπὸ πλημμελείας*, id est a delicto. Verum *πλημμελεία* dicitur quasi *πλην μέλειας*, id est præter curam, idem est quod *ἀμέλεια*, id est negligentia, inertia, incuria, ut acute vidit vertitque Noster. Vide dicta *Levit. cap. vii, vers. 1*. Complutenses, ab errore, adduntque antithesin, et *stultus non conservabit curam*, id est occasionem vel tempus; Tigurina, *insipientis autem non explorat tempora*, id est, temporum mutationem a me jam dictam: sed securus presenti sorti, abundantiae ac felicitati quasi semper duraturæ, stolide inhiat et incubat. *Dies delictorum* vocantur, quibus est occasio, licentia, et subinde quasi necessitas peccandi, quibus impune homi-

nes peccant, quibus passim omnes ruunt in peccata, quibus dominantur impii et impietas, ut tunc regnum peccati esse et imperare videatur. Tunc ergo maxime cavendum est ab inertia, id est, primo, ab otio: otium enim facit ut homo spectet peccantes et peccata, cum iisque colloquatur, versetur et agat, nec gratiam Dei invocet, itaque iis implicetur et consentiat; secundo, a desidia, torpore et pusillanimitate, qua quis non audet officio suo fungi, ac peccantibus et sollicitantibus alios ad peccata sese opponere, sed iis cedit et succumbit: quales multi sunt qui peccantium exemplis vel imperiis non audent resistere, ideoque eos sequuntur, q. d. Homo sapiens eo tempore quo grassantur peccata, quoque multae peccandi occasiones se ingerunt, magis sibi cavebit, ac diligentior erit in officio et cura sui et suorum, ne peccet: quare tunc excutiet inertiam, induet magnanimitatem, ac generose se peccantibus opponet, uti fecere Machabaei Antiocho, caeterique Martyres tyrannis.

Dies ergo delictorum, primo, sunt quando afflante fortuna adsunt opes, prosperitas, abundantia, adulatorum; quae hominem ad gulam, libidinem, superbiam aliaque peccata invitant, de quibus paulo ante dixit monuitque: « Memento paupertatis in tempore abundantiae. » Quocirca Syrus vertit, sapiens haec omnia curabit, et in diebus impietatis non timebit a malo. Felicitatem enim sequitur inertia, inertiam luxuria et scelus, scelus miseria.

Secundo, dies peccatorum sunt dies quibus indulgetur genio, veneri et ventri, aliisve peccatis, quales sunt dies Bacchanalium, qui proinde in Calendariis nonnullis dies stultorum nuncupantur. Unde Tigurina vertit, homo sapiens semper metuet, et diebus peccato dicatis cavebit a delicto.

Tertio, dies peccatorum sunt, quando reges et principes impii dominantur, qui populum ad idololatriam, haeresin, libidinem verbo et exemplo sollicitant, imo minis, edictis et suppliciis cogunt: tunc enim est diluvium peccatorum, uti fuit tempore Noe. Tales fuerunt paulo post Siracidem, sub Antiocho Epiphane, cujus impietatem hic propheticè praesignificare voluisse videtur Spiritus Sanctus. Unde de iis ait Mathathias Judae aliisque filiis Machabaeis: « Nunc confortata est superbia, et castigatio, et tempus eversionis, et ira indignationis. Nunc ergo, o filii, aemulatores estote legis, et date animas vestras pro testamento patrum vestrorum, et mementote operum patrum, quae fecerunt in generationibus suis: et accipietis gloriam magnam, et nomen aeternum, » I Machab. II, 49.

Quarto, dies peccatorum sunt diei praesentis temporis, quod delictis est plenum, ait Lyranus et Glossa. Unde Palacius sic explicat, q. d. O viri, si quando felicia vobis arriserint, sive temporalia, sive spiritualia, vereamini peccatum mortale, in quod incidere potestis; in quod si inciditis, vere in tempus necessitatis et paupertatis incidistis.

Cum igitur nemo sit securus ab eo, vir sapiens in tempore hujus vitae, quod tempus est delictorum, cavebit ab inertia. Vel specialius: O vir pie, si quando in abundantia tua dixeris. « Non movebor in aeternum; » memento ejus necessitatis et paupertatis, quam, si damnaris, in die iudicii patieris cum impiis: et ejus rei memor in tempore hujus vitae, cave ab inertia. Disce a formica, quae tempore aestatis congregat, ne tempore hiemis indigeat. Disce a testudine, quantum periculi creet inertia. Nam, ut ait Plinius, lib. IX, cap. x. « Capiuntur testudines evectae in summa pelagi, antemeridiano tempore blandito, eminente toto dorso per tranquilla fluitantes: quae voluptas libere spirandi in tantum fallit oblitus sui, ut solis vapore siccat cortice, non queant mergi, invitaeque fluitent, opportuna venantium praeda. » Sic iners libere voluptati indulgens, oblitus sui, fit praeda daemonis, qui inerti quasi venator et piscator insidiatur.

Denique dies peccatorum sunt, cum in republica, Ordine, monasterio, collegio, aliove cœtu oritur rebellio, schisma, scandala, ruina, vel laxitas disciplinae, etc. Tunc qui animae suae consultum cupit, ita prudenter et fortiter agat, ut peccatum omne declinet, et animam suam salvet. Ita Franciscus Caesarius Spirensis, S. Theologiae Doctor, ac S. Francisci discipulus, petit ab eo, dixitque: « Unam a te, o Pater, postulo gratiam, ut, si diebus meis fratres a pura regulae tuae observantia declinaverint (velut declinatos praedixisti), possim cum tua licentia et benedictione, cum aliis sinceris professoribus regulae a transgressoribus discedere, et separatim regulam observare. » Cui benedicens S. Franciscus: « A Christo, ait, et a me scias, fili mi, tibi esse concessum quod postulas; » ponensque manum super caput ejus, dixit ei: « Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. » Caesarius ergo tandem Fr. Eliae disciplinam laxanti resistens, ab ejus asecclis occisus, Gregorio IX Pontifice visus est ab Angelis ferri in caelum. Ita habent Annales P. Wadingi anno Christi 1239, num. 6.

28. OMNIS ASTUTUS (Graece οὐνετός, id est intelligens, prudens, cautus) AGNOSCIT SAPIENTIAM, ET INVENIENS EAM DABIT CONFSSIONEM, — id est, laudem. Quia Siracides res graves et difficiles dixit, quas multi, utpote mundi dictamina sequentes, non erant servaturi, addit, astutus, id est, vir prudens, agnoscat, id est, approbabit, diliget, sequetur hanc sapientiam a me jam expositam, ac insuper dabit confessionem, id est, laudabit et praedicabit eos quicumque eam inveniunt aliosque docent. Unde Tigurina vertit, omnis cordatus agnoscit sapientiam, et eruditionem, et adeptus eam laudem tribuit; Syrus, omni sapienti convenit docere sapientiam, et scientibus eam (convenit) dare confessionem, vel gratiarum actionem. Nam, ut ait Aristoteles, lib. I Metaphys. I: « Sapientis proprium est alios docere. »

Allegorice Rabanus: « Astutus, ait, hoc est, diligens et intentus meditator legis Dei, agnoscit sapientiam Dei esse Christum, et postquam invenierit eum, et corde credulo ejus agnitionem perceperit, ipse dabit ei confessionem rectae praedicationis, et studium condignae operationis. »

29. SENSATI IN VERBIS ET HSI SAPIENTER EGERUNT: ET INTELEXERUNT VERITATEM ET JUSTITIAM, ET IMPLUERUNT PROVERBIA ET JUDICIA. — Ita Romana et Graeca: perperam ergo multi pro impluerunt, legunt imploraverunt; Graecae enim est ἀνέμωσαν, id est, tantam imbrem effuderunt, impluerunt, instillarunt. Tò in verbis refer non ad sensati, sed ad sapienter egerunt, q. d. Sensati et prudentes non tantum audiunt sapientiam, laudantque eos qui illam docent, sed etiam ipsi eandem aliis enuntiant et communicant; unde in verbis suis ita sapienter agunt ac loquuntur, ut ostendant se intelligere veritatem et justitiam, utque impluant, id est instillent, aliis proverbialia et iudicia, id est, sapientes sententias et praecipua, quae doceant justitiam, virtutem et sanctitatem. Unde Tigurina vertit, cordati ipsi quoque dictis proferunt sapientiam (veritatem intelligunt et justitiam, quae verba non sunt in Graeco); et moderatione animi selecta in vitam responsa irrigant. Potest tamen τὸ in verbis referri ad sensati. Unde aliqui clare vertunt, qui in verbis sensati et intelligentes sunt, et ipsi sapientiam profitentur, et exquisitas parvas tanquam imbrem effundunt; Syrus, scientes doctrinam etiam ipsi sapientes sunt, et scient usque in finem verba parabolarum, et verba sapientiae, et doctrinam animae.

Complutenses et nonnulli alii hanc in Graeco addunt sententiam: ἀρετῶν παρρησία ἐν θεοπύργῳ μόνῳ, εἴπερ νεκρὸν καρδία νεκρῷ ἀντίχεται, id est, ut vertit interpres Complutensis, melior fiducia in Domino solo, siquidem mortuum cor mortuo adhæret; Tigurina, optima loquendi auctoritas solius est Domini, siquidem mortali cor inhæret mortuo; alii, optima res est libertas in solo hero, siquidem cor mortuum mortuo adhæret. Verum hæc sententia hoc loco obscura et impertinens videtur: unde eam omittunt Latina omnia, Syrus, et Graeca editio a Caraffa et Romanis emendata.

Hujus astutiae, cautela et sapientiae symbolum sunt grues. Primo enim, sicut grues volando suum sequuntur ducem, sic astutus suum sequitur doctorem. Secundo, sicut grues praesentiant pluviam, eamque volantes vociferando praenuntiant: sic astutus praesentit sapientiam, ac denuntiat ubi et a quibus ea hauriri debeat. Tertio, laboriosae sunt grues, volando tranantes maria, ut calorem victumque quaerant: sic impense studet et laborat cautus, ut sapientiam acquirat. Mirum est quod scribit Plinius lib. XXX, cap. ult., « non lassescere in ullo labore, qui nervos ex alis et cruribus gruis habent. » Quarto, grues timentes venatores noctu excubant: ita vir cautus timet invidias hominum et daemonum, et contra eas per-

vigil excubat. Sed accipe de gruibz verba Plinii, quae commutato nomine homini cauto adaptes: sic enim scribit lib. X, cap. xxiii: « Immensus est tractus, quo veniunt, si quis reputet a mari Eoo. Quando proficiscantur consentiunt; volant ad prospiciendum alte; ducem, quem sequantur, eligunt; in extremo agmine per vices, qui acclament, dispositos habent, et gregem voce continent. Excubias habent nocturnis temporibus, lapillum pede sustinentes: qui laxatus somno et decidens, indiligentiam coarguat (easque a somno suo sonitu excitet). Aetere dormiunt capite subter alam condito, alternis pedibus insistentes. Dux erecto providet collo, ac praedicit. » Eadem habet Aristoteles, lib. IX Histor. Animal. cap. x: « Grues, inquit, prudenter multa faciunt: loca enim longinqua petunt, sui commodi gratia; et volant alte, ut procul prospicere possint: et si nubes tempestatemque viderint, conferunt se in terram, et humi quiescunt: ducem etiam habent, » etc.

30. POST CONUPISCENTIAS TUAS NON EAS, ET A VOLUNTATE (aliqui legunt, voluptate) TUA AVERTERE. — Graeca huic sententiae praemittunt titulum hunc: Continentia animae vel animi. Pro a voluntate tua, Graecae est, ἀπὸ τῶν ὀρεξέων σου, id est ab appetitibus vel desideris tuis; Syrus, fili mi, post desideria animae tuae ne eas, et a concupiscentiis tuis prohibe eam; Tigurina clare, ne sequaris cupiditates tuas, et appetitus tuos inhibe; alii, appétitiones tuas coerce. Est hoc generale praecipuum de continentia, ut per eam resistamus concupiscentiae gulae, libidinis, superbiae, irae, acediae et ejuslibet vitii: concupiscentia enim omnem passionem et vitium tam mentis et spiritus quam carnis et sensus complectitur. Sensus ergo est, q. d. Sentire motum concupiscentiae non est peccatum, sed ei consentire. Sentire enim est naturale, necessarium et involuntarium: consentire vero est arbitrium, liberum et voluntarium, uti ex hisce Siracidis verbis docet S. Augustinus, lib. I De Nupt. et Concup. cap. xxiii. Si ergo sentis ebullire in te affectus irae, odii, curiositatis, libidinis, noli eis assentiri, noli eos sequi: sed illico nega assensum, resiste, inhibe, coerce, reseca, absconde, extirpa quoad potes. Unde sequitur, motus concupiscentiae magnum esse malum, juxta Aristotelis axioma, lib. II Topic. Quorum corruptiones sunt bonae, ipsa corrupta sunt mala. Mundani et carnales nescientes quid sit concupiscentia, quid abnegatio, quid mortificatio, illico suos appetitus sequuntur et explent, velut animalia bruta: at fidelis et sensatus eis quasi hostibus suis reluctatur, sciens eos incitare ad peccatum, et ducere ad Tartara.

Causae sunt multae: Prima, quia animal, ait Aristoteles, I Politic., constituitur ex anima et corpore, tanquam ex regente et recto. « Anima est in corpore, ait idem De Motibus naturae, sicut monarcha in civitate bene disposita. » Anima vero ratio-

nalis in homine est reatrix, et monarcha omnium, non tantum membrorum, sed et sensuum, passionum, imaginationum et desideriorum partis sensitivæ. Regat ergo ejus concupiscentias et appetitus, nec sine se ab eis regi.

*Secunda*, quia concupiscentiæ ingens sunt hominis malum, imo pernicietas et exitium. Ipse enim sunt similes equo indomito, cæco, fero et furioso, qui equitem sive sessorem præcipitem dabit in ammam, fossam, saxa, etc., nisi per frenum ab eo regatur et refrenetur. Voluntas ergo et mens, sive spiritus, quasi sessor insideat suæ concupiscentiæ, quasi equo, eamque freno rationis inhibeat, ne ab illa in præceptis agatur. Sicut ergo monstrum est, si equus regat sessorem; aut si homo capite deorsum, pedibus sursum insistat vel incedat: sic et monstrum est, cum ratio regitur a concupiscentia. Quocirca S. Basilius *Ad Filium spiritus*: « Corpus, inquit, rege ratione, uti auriga equum freno. » Idem *Ad Chilonem*: « Unam, inquit, voluptatem expugnato, ne, si omnes in te iritacoeoriantur, turbulentam accersant menti tuæ tentationum intemperiem. Corpus substerne laborum exercitio, animam tentationibus assuefacito æquanimiter tolerandis. » Successive ergo vitia et concupiscentiæ expugnanda sunt. Idem in *Constitut. monast.* cap. III: « Affectiones corporis, ait, tunc sunt violentæ, cum ratio cessat; easdem illa moderante, et imperium suum exercente, facillime obtemperant. » Ratio ergo pervigil eas domat et regit. Sic S. Anselmus, *De Concept. Virgin.* cap. v, concupiscentiam comparat feræ, quæ, nisi ratione dometur et cicuretur, hominem secum in præceptis egit.

*Tertia*, quia concupiscentiæ sunt sicut Sirenes, quæ blando cantu alliciunt ad se homines, ut allectos devorent, uti ab eis devorati feruntur socii Ulyssis: Ulysses vero prudens aures suas obturavit, ne earum cantum audiret, eoque inescaretur, dementaretur et devoraretur, itaque unus ipse earum pernicietas et mortem evasit. Ulysses est speculum viri sapientis et continentis. Hinc S. Bernardus, serm. 44 in *Cantic.*, loquens de filio prodigo, qui sua dissipavit deliciando cum meretricibus: « Quænam, ait, hæc meretrices? Carnales utique concupiscentiæ, de quibus Scriptura saluberrime te admonet: Post concupiscentias tuas non eas. » Idem *De Gradibus humilitatis*: « Cavendum est, inquit, ideo malum desiderium, quia mors secus introitum delectationis posita est. Unde Scriptura præcipit, dicens: Post concupiscentias tuas non eas. »

*Quarta*, quia homo quasi conflatus est ex angelo et bruto: mente enim et parte rationali similis est angelo, concupiscentia vero et parte animali similis est bruto. Angelica ergo portio imperet animali et brutæ, ut eam faciat sibi similem et angelicam, non vero sinat animale sibi dominari, ut et ipsa fiat animalis ac brutæ. « Quare adversus tumultuantes, et ad mala trahere nitentes

animæ concupiscentias, exerceat gloriosæ certamina, si vivit in gratia, » ait S. Augustinus, lib. V *Contra Julian.* cap. III.

*Quinta*, quia concupiscentia repugnat legi naturali et divinæ. Lex naturalis statuit homini sequendum bonum honestum, non delectabile et concupiscibile, quod honesto repugnat. Illud ergo amplectatur, hoc aversetur et fugiat. Lex divina jubet nos sequi dictamina spiritus, non carnis. Illa ergo sequamur, hæc detestemur et abnegemus. Unde S. Leo, epist. *ad Anatolium*, et habetur dist. 47, an. VI: « Virum Catholicum, inquit, et præcipue Domini sacerdotem, sicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate violari, dicente S. Scriptura: Post concupiscentias tuas ne eas. Mens enim potentiæ avida nec abstinere novit a vetitis, nec gaudere concessis, nec pietati adhibere consensum. »

Porro concupiscentiæ non tantum sensus, sed et mentis ac spiritus mortificandæ ac resevandæ sunt. Concupiscis nimiam scientiam, nimiam sapientiam, nimiam lectionem, nimium studium? concupiscentia est, excessus est cupiditatis; quod ergo in ea nimium et vitiosum est, abscinde. Scitum est illud: « Saturitas panis mala, studiorum autem pessima. » Incessit te cupido meditandi, orandi, contemplanti, cum charitas vel obedientia poscit ut ægro servias, ut confitentibus aures præbeas, ut doceas, concioneris, etc., mortifica illam cupidinem, et velut dilectum tuum Isaac Deo in holocaustum immola. Vocatus es ad sortem Magdalene, malles agere Martham; aut vice versa, vocatus es ad vitam activam, desideras contemplativam: desiderium hoc irrationale mortifica, Deoque sacrificia.

Quocirca hæc Siracidis sententia non tantum in malis, sed etiam in bonis custodienda est, ut scilicet illud bonum suspectum habeamus, quod non Dei beneplacitum, sed voluntas sola nostra dicitur. Eo enim ipso quod a sola nostra voluntate progreditur, et divinis et Ecclesiæ jussis non probatur, a bonitate sua deficit, et aliqua malitiæ labe corrumpitur. Unde S. Leo, serm. 8 *De Jejunio septimi mensis*, sapienter ait: « Cum sint in animis hominum multæ bonæ concupiscentiæ, et laudabiles voluntates; quid est quod jubetur ut nostris non consentiamus affectibus? nisi quod ab illa concupiscentia prohibemur, et ab illa voluntate revocamur, cujus ortus ex nobis est, et ideo mala pronuntiat. Ad distinctionem igitur concupiscentiarum quæ sunt ex Deo, bene homini dictum est: Post concupiscentias tuas non eas; ut quas cognoverit proprias, sciat esse vitandas. » Et S. Augustinus, serm. 43 *De Tempore*: « Noli, inquit, post eas ire. Nolunt post te ire? noli post eas ire: si velint post te ire, non erunt, quia contra mentem tuam non rebellabunt. Rebellant? rebella; pugnant? pugna; expugnant? expugna; hoc solum vide, ne vincant. » Hæc ille. Minutius explicat Hugo hoc præire, aut sequi: « Quidam

inquit, præcedunt concupiscentias, ut illi qui invocant, et procurant; quidam comitantur, qui in cogitationibus illicitis commorantur; quidam sequuntur, qui consentiunt et cooperantur. » Hæc Hugo, avertitque ad hoc illud II *Reg.* III: « Phaltiel, inquit, sequebatur Michol plorans. » Denique concupiscentiæ symbolum est lupus, de quo plura dixi cap. XIII, 21.

31. SI PRÆSTES ANIMÆ TUÆ CONCUPISENTIAS EJUS, FACIET TE IN GAUDIUM INIMICIS TUIS, — tibi invidentibus, uti addunt Græca nonnulla, et ea secutus S. Augustinus. Ratio est, quia expletio concupiscentiæ consciscet tibi infamiam, morbos, pauperiem, et sæpe mortem, aliaque damna corporis et animæ, quæ facient te ludibrium inimicis tuis, tum hominibus, tum dæmonibus, uti Samson amans suam Dalilam, eique obsequens, a Philisthæis captus, illusus, excæcatus et enecatus est, *Judic.* XVI. Ita S. Augustinus, lib. V *Contra Julian.* cap. III: « Numquid, ait, jam iste reus est habendo tales animæ concupiscentias, quas et præstare non debet, ne in gaudium veniat diabolo et angelis ejus, qui sunt inimici atque invidi nostri? » Unde Græca habent, si præstiteris animæ tuæ beneplacitum concupiscentiæ, faciet te invidiam, id est, derisionem et gaudium inimicorum tuorum; Tigurina, si animo tuo indulgeas quamlibet concupiscentiam (alii, quod cupiditati lubitum est), efficiet quod invidentes tibi inimici tui de te gaudeant; Syrus nervose, si enim feceris voluntatem animæ tuæ, es sicut ille qui facit voluntatem inimici sui. Cum ergo stimulat te alicujus rei cupiditas, cogita illam non esse amicam, uti se simulat, sed inimicam tibi; quare totis viribus ei quasi inimico capitali resiste. Sicut ergo milites conspecto hoste illico se armant, eique totis viribus sese præliando opponunt: ita et tu dum sentis te quippiam concupiscere, vel in te cupiditatem aliquam suboriri, illico rationis et resolute voluntatis ac gratiæ divinæ arma capesse, illique toto animi nisu obluere, ac generose præliare prælium Domini, ut victor evadas, et ab eo quasi agonotheta, in magno illo judicii die corona immortalitatis et gloriæ doneris: omnia enim hæc spectant præparationem ad judicium.

Hujus rei symbolum est limax sive cochlea. Unde illud *Psalm.* XVII, 9: « Sicut cera quæ fluit, auferetur; » quod S. Augustinus et alii accipiunt de concupiscentiis hominem tabefacientibus; Chaldaeus vertit, sicut limax tubefactus qui consumitur in itinere suo; alii, sicut limax vel cochlea, quæ liquescit, abeat.

Primo enim, sicut limax dicitur a limo, cui semper adhæret, ait Festus et Varro: sic cupidus et carnalis adhæret sibi carni et concupiscentiæ.

Secundo, sicut limax affigitur suæ cochleæ in eaque capitur; unde illud: « Implicitus conchæ limax, hirsutaque campe; » et Aristoteles, lib. III *Histor. Anim.* cap. XXXII: « Limax, inquit, detracta testa, hebetescit: » sic carnalis affigitur suæ do-

mui, agris et fundis, in eisque capitur, et propter ea sæpe mortem incurrit tum præsentem, tum æternam.

Tertio, sicut limax viscosus est: sic viscosa est concupiscentia, quæ proinde hominem deprimit, nec sinit caput in altum, puta mentem in cælum, levare.

Quarto, Albertus lib. *De Pisc. et aquat.* tradit limaces, si sale perluantur, plane liquescere, et in aquam viscosam commutari; sua enim viscositate liquantur et tabescunt. Unde et Plinius, lib. IX, cap. LI: « Quædam, inquit, tempore anni gignuntur, et in humore, et in terra. Vere pectines, limaces, hirudines, eodem tempore evanescent. »

Quinto, limaces carent oculis, sed eorum vice parva habent cornua. Unde Plinius, lib. IX, cap. XXXII: « In eodem genere, ait, cochleæ aquatiles terrestresque, exertantes se domicilio, binæque ceu cornua protendentes contrahentesque, oculis carent, itaque corniculis prætentant iter. » Unde proverbialiter limax vocatur, qui exquirat ut aliquid auferat, juxta illud Planti in *Bacch.*: « Limaces viri, » quod atterant et consumant. Sic concupiscentia menti admittit oculos, eamque exoculat et excæcat, ut non videat ejus malitiam æque ac damna, puta pernicietas et gehennam ex ea sibi imminemem; sed carnos tantum et quasi corniculatos homini relinquit oculos, quibus terrena et carnalia intuendo prætentet et prægustet, itaque capiatur, calcetur et pereat, instar limacum, qui a porcis et perdicibus devorantur, juxta illud Aristotelis, lib. IX *Histor. Anim.* cap. XXXVII: « Ubi sit limax, neque sus est, neque perdix: omnes enim limaces ab his eduntur. » Vide quæ de concupiscentia ejusque mortificatione dixi *Jacobi*, cap. I, 14.

32 et 33. NE OBLECTERIS IN TURBIS NEC IN MODICIS (Jansenius et alii legunt, nec in modicis); ASSIDUA ENIM EST COMMISSIO ILLORUM. NE FUERIS MEDIOCRIS IN CONTENTIONE EX FOENORE, ET EST (Jansenius et alii legunt, non est) TIBI NIHIL IN SACCULO: ERIS ENIM INVIDUS VITÆ TUÆ. — Ita Romana; perperam ergo aliqui legunt, in sæculo. Græca moderna a Latina Vulgata hic valde dissentiunt; sic enim habent, nec delecteris deliciis, nec earum consortio vel symbolo alligeris, vel demantieris (Græce enim est συμβολή, licet Complutenses legant συμβολῆς, vertantque, neque indigeas consilio eorum), non fas pauper de symbolis comessans ex fœnore; et nihil est tibi in sacco. Græcum enim συμβολή significat convivium in quo singuli suas symbolas, id est collationes sumptuum, pro rata conferebant; συμβάλλειν enim est committere et conferre. Unde συμβολοειπών idem est quod σύμβολον κόπτων, id est symbolum secans vel dividens, hoc est, convivium ex collatione instruens « Ex fœnore, » scilicet ex pecunia ad fœnus accepta, q. d. Ne delecteris conviviis et computationibus, quia depauperabunt te, adeoque cogent ut ad eorum symbolum et sumptum corrogandum, cogaris accipere pecuniam ad usu-

ram, quam solvere non poteris, cum nihil habeas in sacculo, itaque fiet fabula et probrum convivis omnibus, *q. d.* Ne des tesseram partemque tuam convivio, ne sumptu depauperatus cogaris tesseram nummariam dare creditori et feneratori, qua te ei velut debitorem obliges. Unde Tigurina vertit, *cave pauper evadas concinnandis de mutuo conviviis, donec tibi nil sit in sacculo;* alii, *ne fias pauper symbolum dando, cum tibi nil sit in marsupio.* Sic et Syrus, *ne lateris in multitudine deliciarum, ne fias duplo pauper: ne fias pauper, et ebriosus, et intemperans, et verbosus, cum nihil habeas in marsupio tuo.* Quæ lectiones connexæ sunt, et clare recteque coherent cum eo quod præcessit: « Post concupiscentias tuas non eas, etc., nam faciet te gaudium inimicis tuis. »

Verum Græca olim aliter habuisse liquet ex Latina Vulgata, et ex dissensione Græcorum codicum. Nam alii legunt *ἐν τρυφή*, id est *in deliciis*; alii, *ἐν τέρψῃ*, id est *in turba*, et sic legit Noster. Rursum alii legunt *συμβολῆς*; alii, *συμβολῆς*, uti jam dixi.

Sensus ergo Latine versionis est, *primo, q. d.* Ne immisceas te populari turbæ, « nec in modicis, » id est, nec inter homines modicæ sortis, puta plebeios, viles et leves, ubi multa est scurrilitas et ineptia; nam in ea multa peccata committuntur. Ita Rabanus. Quocirca Christus sæpe fugit turbas. Idem fecere Sancti, ut Moses, S. Basilius, S. Nazianzenus, S. Antonius, idque ad hoc, ut in die iudicii puram et illibatam a sæculi vitiis animam sisterent Christo iudici: ad iudicium enim hæc omnia pertinent. Ad hanc enim puritatem mire juvat secessus a turbis et solitudo. Unde de S. Joanne Baptista canit Ecclesia:

Fuge turbam.

Antra deserti teneris sub annis,  
Civium turmas fugiens petisti,  
Ne levi saltem maculare vitam  
Famine posses.

Cornelius Musius, nobilis Hollandiæ hoc ævo fidei pugil (pro ea enim dire cruciatus, fortiter occubuit), in carmin. *De Laude vitæ solitariae*. « Cum morti, inquit, propinquabis, sero provocabis ad beatas cellulas. O beata solitudo, o sola beatitudo piis secessicolis. » Immisceri enim turbis, quid nisi turbas in nobis aut turbida proseminet? Ibi exempla pravitatis et morum corruptio, quæ etiam sanctos, eosque validos, seducunt et inquinant. Sicut enim hætrus a proximo colorem trahit ac purpuram: ita qui mundus est, a malorum consortio vitium contrahit, affinitateque et congressu pravorum corrumpitur. Quis enim naufragium virtutum non patitur et obruatur scelerum fluctibus, in patente illo turbidoque impuritatis oceano? Nunquam bonus, qui nunquam solus; peccatum fugit qui occasiones peccandi, puta turbas, fugit. Captivus servus est, qui agglutinatur multitudini; liber, qui ab ea semotus sui juris est, sibi que ac Deo vivit. Vide dicta *Osee*, cap. II, 14.

*Secundo*, pressius et germanius, *q. d.* Ne oblecteris turbis, id est, hominum turbatione, tumultu, seditione, etiam modica, et in rebus modicis, quas Latini *turbellas* vocant, quia multa est « commissio, » id est conflictus, certamen, lites, rixæ, cædes et bella in illis. Sic enim dicimus committere prælium, et committere principes inter se, dum eos excitamus ad bellum contra se invicem. Notandum enim est græcum *εἶρη* et latinum *turba* significare non tantum hominum multitudinem, sed proprie *θέρψον καὶ τέρψιν*, id est *turbationem, perturbationem, commotionem, seditionem*, quæ fere oritur ex turba et multitudine ingeniorum et voluntatum. Unde Ulpianus *De Vi bonorum et de turba*, L. *Prætor*, ait: « Turbam appellatam esse Labeo contendit ex genere tumultus, idque verbum ex Græco tractum *τέρψιν*. Si duo rixam commiserint, utique non accipimus in turba id factum, quia duo turba non proprie dicuntur. Si vero fuerint decem, aut quindecim homines, turba dicetur. Rectissime Labeo inter turbam et rixam multum interesse ait; nempe turbam multitudinis, hominum esse turbationem et cœtum. » Sic Terentius in *Andria*: « Quid turbæ apud forum? » Ovidius III *Metamorph.*: « Ruit omnis in unum turba furens. » Cicero, act. I in *Verrum*: « Ecce autem nova turba atque rixa. » Idem Cæcinnæ, lib. VI, *epist.* 6: « Exponerem quanta in turba, quantaque in confusione rerum omnium viveremus. » Hinc dicuntur seditioni concire turbas, excitare turbas populares, etc. Idem, lib. I *De Natura Deorum*: « Aristoteles, ait, multa turbat a magistro Platone dissentiens. » Hinc S. Bernardus mire laudat S. Malachiam: « Quod sine turbatione inter turbas versaretur. » Hoc enim signum est animi celsi et in cælo fixi, quia turba parit turbationes.

Rursum Græcum *συμβολῆς* significat non tantum collationem convivarum ad sumptum in communi convivio vel symposio, sed etiam commissionem, id est, congressum et conflictum belli. Unde vers. seq. *τὸ συμβολοκράπειν* Noster vertit, « in contentione. » Sic ergo hos duos versus genuine explices et connectas: Noli delectari, nec te miscere hominum turbis, id est tumultibus, quia multæ in illis rixæ, verbera et cædes committuntur. « Ne fueris mediocris in contentione ex fœnore, » *q. d.* Ut turbas et factiones quibus te miscuisti, vel quas concitasti, alas, multo opus est ære; quod cum in arca non habeas, oportebit ut summas ab usurario ad usuram; quare suadeo tibi ne vel mediocriter contentiones et turbas hasce foveas, quia si id feceris, cogeris accipere multa ad fœnus, itaque tuas facultates exhauries. ut fœnori semper crescenti solvendo non sis, cum tibi jam nihil reliquum sit « in sacculo, » id est, in marsupio; quare eris « invidus, » id est, iniquus et noxius, « vitæ tuæ; » videberis enim tibi invidere vitam quietam, honestam, lætam et lautam.

Porro, apte post vitam concupiscentiam

abdit velatque turbas et rixas, quia hæc mul-  
torum est concupiscentia, nimirum ut in repu-  
blica vel communitate concitent turbas et sedi-  
tiones, idque vel quia novitatis sunt studiosi; vel  
quia pugnaces et rixosi sunt, ideoque quietis im-  
patientes factiones concitant aut fovent; vel  
quia per eas ad honores et magistratus evadere,  
ut certe se ditare ex mercatorum divitumque  
apis et spoliis satagunt.

*Tertio*, si plane Latinam versionem Græcæ  
modernæ vis adaptare, sic explicæ: Ne oblecteris  
turbis convivantium et compotantium (symposia  
enim inter turbas plebeiorum dominari solent,  
ideoque turbarum et cœtum multis in locis vi-  
dentur esse proprii et individui comites), quia  
assidua est *commissio*, id est, collatio eorum ad  
symbolum et epulum. Sicut enim dicimus com-  
mitti ludos, sic et committi epulas et symbola.  
*Commissio* ergo est læta ex symbolis comessatio.  
Rursum *commissio* est scelerum perpetratio, quia  
inter epulas et symposia multæ crapulæ, insolent-  
iæ, detractiones, scurrilitates, lites et rixæ commit-  
tuntur. Quare cave ne ex hac contentione com-  
potandi et convivandi fias *mediocris*, id est, pauper  
ex fœnore, quod tibi sumendum est, ut sumptibus  
symposiorum par esse queas, cum nihil habeas  
in sacculo, id est, in crumena: sic enim videberis  
invidus et iniquus esse vitæ tuæ, dum depauper-  
ratus cogeris famere, misere vicitare et erubescere  
apud homines.

Huic expositioni favet codex quidam manu-  
scriptus, quem citat Jansenius, qui ad marginem  
ex alia versione sic clare legit, *noli delectari in  
multa epulatione, ne egeas ex collatione, ne fias pau-  
per collationem faciens ex mutuo.* Vetat ergo adiri  
epulas et prandia, ubi multi sunt convivæ, ac  
proinde multæ voces et clamores, ut non tam  
convivium, quam (ut ille ait) convocium esse  
videatur. Ita Lucius Verus imperator, teste Capi-  
tolino, aiebat, « septem convivium, novem con-  
vitiū facere, » significans in convivium pau-  
cos adhibendos esse, alioqui fore tumultuosum  
et insuave, juxta illud Horatii:

Locus est et pluribus umbris,  
Sed nimis arcta premunt olidæ convivia capræ.

Varro apud Gellium, lib. XIII, cap. XI, censet  
convivas intra Gratiarum et Musarum numerum  
consistere oportere, ne aut plures sint novem,  
aut pauciores tribus. Plinius, lib. XXVIII, cap. II,  
scilicet Servium Sulpitium commentum fuisse  
causam, cur ominosum esset mensam relinquere,  
quod illis temporibus mundum numerabantur  
plures convivæ quam quinque.

Alludit ad illud *Proverb.* xxxiii, vers. 20 et 21:  
« Noli esse in conviviis potatorum, nec in comes-

sationibus eorum qui carnes ad vescendum con-  
ferunt; » ubi Aquila, Symmachus et Theodotus  
habent, *συμβολοκράτης* id est *symbola conferens*; Sep-  
tuaginta, *μηδὲ ἐκταίνου συμβολαίς*, id est, *ne extendas  
te in symbola*, id est, in comessationes et sym-  
posia quæ instruuntur ex plurimæ collatione:  
quæ proinde velut gulæ, luxuriæ aliorumque  
scelerum irritamenta, imo officinas et aramen-  
ta vetat Concilium Laodicenum *Can. LV*: « Non  
oportet, inquit, ministros altaris, vel quoslibet  
Clericos, v' etiam laicos christianos ex symbolis,  
quæ vulgus Comessalia appellat, convivia  
celebrare. » Eadem frequentia erant apud Gen-  
tiles. Unde Plautus in *Sticho*: « Eo, inquit, con-  
dictum symbolum ad cœnam, ac ejus conservum  
Sangarium Syrum. » Et in *Curcul.*: « Symbolorum  
collatores apud forum piscarium. » Terentius  
in *Andria*: « Symbolum dedit, cœnavit. » Et in  
*Eunucho*: « Heri aliquot adolescentuli coivimus in  
Pyræo in hunc diem, ut de symbolis essemus;  
(ederemus) Chæream ei rei præfecimus. »

Aliter Jansenius: « Ne oblecteris, inquit, in tur-  
bis, id est, in copia et multitudine ciborum. » Sic  
Plinius, lib. XV, cap. XIII: « Turbam prunorum » vo-  
cat varia genera prunorum; et lib. XI, cap. XXXVII:  
« Turbam vulnerum » vocat multitudinem vul-  
nerum; Ovidius VI *Metamorph.* nuncupat « rotarum  
turbam; » Cicero *De Claris Orat.*, « turbam volu-  
minum. » Verum esto simili phrasi posset dici  
« turba ciborum, » pro *eorum copia*, tamen abso-  
lute turba sine addito id non significat.

Porro Rabanus alio prorsus abit; secundum  
enim versum explicat de studio beneficentiæ,  
*q. d.* « Ne sis mediocris in contentione ex fœ-  
nore, » etc., hoc est, ne sis parcus, lentus et pi-  
ger in contentione et studio fœnerandi, id est,  
benefaciendi et mutuandi aliis, quia si id feceris,  
non erit tibi nihil in sacculo, hoc est, semper  
aliquid habebis quo vivas, quodque eroges, non  
deerunt tibi solatia temporalia; si secus feceris,  
eris invidus animæ tuæ, quia ei male consulens:  
detrahas enim ei merita beneficentiæ, Deique  
dona et gratias, quibus ipse beneficos cumulare  
et compensare solet.

Denique pro *invidus*, Græca habent *ἐπιβουλος*, id  
est *insidiator*, adduntque *λαίπρις*, id est, *loquela  
hominum obnoxius*. Unde vertunt, *eris enim insi-  
diator propriæ vitæ, incurrens in dicta hominum*;  
Tigurina, *alioqui insidiator vitæ tuæ fœnosus eris,*  
*q. d.* Alioqui male, imo pessime, consulens vitæ  
tuæ, ut ei videaris insidiari. S. Scriptura enim sæpe  
rem æstimat ex facto, non ex mente facientis:  
licet ergo mens et intentio accipientis ad fœnus  
non sit nocere vitæ suæ, tamen quia de facto ei  
nocet, hinc dicitur ei invidus et injurius esse,  
scilicet materialiter, non formaliter, ut loquuntur  
Philosophi.